

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

11 April 2024, 1-4pm

.....
Translate the following four passages Each section will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.** You have three hours to complete the exam.
.....

- 1. James the Conqueror, King Jaume I of Aragon (1213–1276), appoints two trusted persons to investigate charges levied against the citizens of Tortosa (*Dertuse*) by certain local dignitaries of the monastic and military orders**

Iacobus etc., fidelibus suis, probis hominibus et toti universitati Dertuse, salutem et gratiam.

Noveritis nos ex parte venerabilium magistri Hospitalis, abbatis et conventus de Benifasçano, commendatoris Templi Dertusie, necnon et aliorum quorundam, graves querimonias multociens accepisse quod aliqui de civibus et vicinis vestris eisdem et rebus suis dampna gravia nequiter intulerunt. Cum itaque nolimus, ut iustum est, quod dicta maleficia impunita remaneant, mittimus ad vos dilectos nostros Raimundum de Uliola canonicum ilerdensem scriptorem nostrum, et Michaelem de Montetornesio civem ilerdensem iurisperitum, qui de meritis huius cause diligenter cognoscant et inquirent fideliter veritatem. Quare mandamus vobis firmiter et districte quatenus eisdem circa executionem dicti negotii prebeatis consilium et iuvamen quandocumque et quocienscumque ab eisdem fueritis requisiti, ita in hoc facto vos habentes et ita sollicite quod de fidelitate vestra possimus nos merito commendare et ne manus nostras in defectu vestri ad alia graviora extendere nos oporteat.

ilerdensem = ‘of or pertaining to (the town of) Lérída’.

2. Princess Adeloga takes a vow of virginity (sort of)

Ex quo electa Dei Hadelauga virgo florem mundi calcare coepit tamquam aridum, in semet ipsa consequenter excolere studuit flores et germina virtutum, quarum perpetua viriditate florere mereretur apud Dominum. Contempta quippe nobilitatis gloria, quam hæreditario iure clarissima in se transfuderat parentela, ad primæ originis dignitatem, id est, ad beatam illam angelorum aspirat societatem. Proinde angelicam in terris cupiens agere vitam, caelitus inspirato virginitatis voto semetipsam sponte obstrinxit, ut etsi postmodum (ut est humana fragilitas semper incerta futuri) nubere voluisset, obstante illa primæ sponsionis necessitate, iam quod ante licuerat, non liceret. Suspecta quoque ei esse poterat parentum voluntas, ideoque ne violenta eam ad nuptias cogere potestate, maturius arbitrii sui libertatem voti huius obligare voluit necessitate. Ita sane hoc se devinxit proposito, non quo nuptiis ullatenus derogaret, sed quo sine vinculo maritali Conditoris sui servitio liberius vacaret. Audierat, ut virgo prudens, quia tribulationem carnis habebunt huiusmodi.

3. Petrarch laments in the midst of a terrible pandemic

Heu michi, quid patior? quo me violenta retorquent
fata retro? Video pereuntis tempora mundi
precipiti transire fuga, morientia circum
agmina conspicio iuvenumque senumque, nec usquam
tuta patet statio; non toto portus in orbe
panditur, optate non spes patet ulla salutis.
Funera crebra quidem, quocunque paventia flecto
lumina, conturbant aciem; perplexa feretris
templa gemunt, passimque simul sine honore cadaver
nobile plebeiumque iacet. Subit ultima vite
hora animum; casusque mei meminisse coactus,
heu, caros abiisse greges et amica retracto
colloquia, et dulces subito vanescere vultus,
telluremque sacram assiduis iam desse sepulcris.
Hoc gemit Italiae populus tot mortibus impar,
hoc exhausta viris defectaque Gallia plorat,
hoc alie quocunque iacent sub sidere gentes,
sive est ira Dei, quod crimina nostra mereri
certe ego crediderim, seu sola iniuria celi,
natura variante vices.

4. John, bishop of Avranches (d. 1079), asks his archbishop if his new book on the liturgy is good enough for circulation to a wider readership

Quum tue paternitatis sanctitatem ecclesiastice dignitatis profectu sollicitam, ejus lapsu imo merore affici, sepissimis inde mecum habitis questionibus comperi: hocque dolorem tibi augmentare ejus reparationem flagitanti, quod vires ad hoc tue subtraxerat imbecillitas egritudinis: parvitas mea sanctissime optioni suffragari, non aliquo fastu succensa, sed pia compassione appetiit: ut quod negligentium pastorum depravatur incuria, tue sancte religionis reparetur vigilantia. Hinc tua auctoritate fretus, diversarum ecclesiarum mores et consuetudines conspectans, quamdam quasi confectionem ex ea diversitate composui, quam omnibus adhuc occultam tue sagacitatis represento examini, ut susceptum opusculum inspicias, et in inspiciendo eam, precor, diligentiam adhibeas, qua te nobiscum esse significes, quem in paternitate ac magisterio sat decenter exhibes. Tua quippe refert, ut si aliqua sint que valeant paterno affectu velis annuere, si vero e contra, vigilantis animi velis censura corrigere. Quod si utile et ratum tua auctoritate censetur, postquam de metropolitana sede distillare videbimus, canonum statuta sequentes, nostre propinare curabimus ecclesie.